



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

120. De excessu S. Vulfranni. De eius corporis incorruptione. Aliquot eius exempla.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

De excessu S. Wulfranni. De eius corporis incorruptione. Aliquot eius exempla.

**S**Wulfrannus, siue Vulfr. vas virtutum, postquam reversus à Frisia cultura Episcopatum suum Senonensem omni diligentia & pietate aliquot annis administrasset, ad Rachelis amplexus (vitæ contemplatiæ exercitium) suspirans substituto in Ecclesia Senonenſi V. Gerico in Fontanellenti Asceterio sese abdidit, vbi regularibus subditus disciplinis summa humilitate, summo deuotionis ardore, eximia in egenos liberalitate, verbis & factis fratres præeundo, miraculis etiam floruit quæ fusi enarrat coetaneus vitæ scriptor Iona apud Surium vigesimo Martij. Quo anno Episcopatum dimiserit, quot annos postea in Monastica expluerit, nos fugit.

Tandem vehementi febrium æstu occupatus, terminum mortalis peregrinationis sibi imminere perséfscens, accitos suos collegas ad perfectarum studia virtutum, præcipue autem exemplo S. Ioannis Euangelistæ ad charitatem mutuam exhibendam, tanquam religiosi status animam, fundamentum, notam, magna contentione cohortatus est, ut ei applicare liceat quod de S. Ioâne Euangelista M. Gregorius hom. 15. in Ezech. Succendi conuolum igne charitatis quærimus, S. Ioannis (Wulfranni) verba pensemus, cuius omne quod loquitur, charitatis igne vaporatur. Hanc exercuerat conuersans in corpore, hanc discedens studuit relinquere in suorum mente. Completa exhortatione S. illa anima corporeo carcere liberata ad uberrimum charitatis fontem, quem sitiebat Christum euolauit

## 432 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS

euolauit anno gratiæ 720. quemadmodum signat idem Io-  
nas & sequuntur cæteri : anno reuersionis ab Apostolatu  
Frisiæ 15. tot enim ab ea reuersione tam in Episcopatu-  
m quam in Monastica exegit, quinquennio prædicationem  
suam absoluens, Frisiæ deserens anno 705. aut 706. prout  
ex Iona alijsque historicis est videre. Sacrum corpus illa-  
rum tumulo S. Wandregisili Fontanellæ conditoris, post-  
quam nouem annis iacuisset, Wandregisili autem 40. & S.  
Ansberti annis vndecim, Bainus Morinorum Antistes de-  
uotione erga eos tactus, honorificè in Ecclesiam S. Petri  
nouiter erectam omnes transuexit anno 729. Quorum  
corpora cum vestibus ita ab omni putredine & incinera-  
tione illæsa reperta sunt, ac si eodem die animam exuissent.  
Gloria hæc est SS. Dei, hæc incorruptionem mentis,  
quam in vita seruauerunt, designat, hæc dotem immor-  
talitatis in çeterno regno obtinendam prænotat ; hæc lux  
est templi Spiritus Sancti. Optimè Thiefridus Abbas Ef-  
ternacensis Epitaph SS. lib. 1. cap. 3. Ex natura ( caro  
SS. ) est putribilis ; ex meritis & gratia longissimo tempo-  
re, etiam contra naturam durat imputribilis, ac ab eae  
suriens repellitur vermis. Cumque vermes sint Ciues ho-  
minis, illum Ciuem suum non facile, non subito cognos-  
cunt, qui Dei & Angelorum ciuis est ; & qui vermes, in-  
festas videlicet cogitationes, à se repulit, dulcedo ver-  
mis non est, non audire discerpitur, non quasi famelicam  
ingluiem satians, audiens absimitur. Caro sanctificata,  
per naturam induita putredine, & sordibus pulueris, dor-  
mit in puluere ; per gratiam & meritum, vigilat in mihi-  
fico opere, & eum, cuius dulcedo est vermis, resuscitat de  
puluere & reddit gratiæ. Hoc priuilegio exornata fulse-  
runt plurimum corpora & antiquioribus & recentioribus  
sæculis. Dinus Augustinus oculatus testis ad inuenta cor-  
pora

pora SS. Geruasij & Protasij præ admiratione Deum compellans, lib. 9. conf. ca. 7. Tunc ait, memorato Antistiti tuo, Ambrosio, per viuum aperuisti, quo loco laterent Martyrum corpora Geruasij & Protasij, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras vnde opportunè depromeres. Diuus quoque Hieronymus in vita Hilarionis tradit corpus eius post menses decem adhuc omnino integrum repertum & tantis fragrans odoribus, ut perfusum vnguentis putareretur. Similia de SS. Iuuentio, Maximo, perorat Chrysostomus Sermone de eisdem. Sulpitius in epistola ad Bassulam Socrum, de obitu S. Martini dicit, post mortem eius in ipsius corpore glorificati hominis apparuisse figuram; fuisse enim carnem eius vitro puriorem, lacte candidiorem, vt septennis pueri decorem ostenderet. Quod idem de corpore S. Francisci refert S. Bonaventura. De S. Eduardo Rege Anglorum, qui ante annos 400. floruit, scribit auctor eius vitæ apud Surium mense Ianuario, anno 36. ab eius obitu inuenatum esse corpus ipsius integrum, plenum succo, flexibile, ac si etiam tunc viueret, & non solum ossa & carnes in nullo lœfas, sed nec pilos capitis aut barbæ, nec ipsas vestes aut calceos. Egidius Aureæ vallis Monachus, Additione ad Anselmum in Walcando cap. 34. agens de translocatione S. Huberti, ait, à Sacerdotibus eleuatū, ita incorruptum quasi eo die sepultū fuisset, quod cum sarcophago suomarmoreo in naui per Mosam fluvium, cum hymnis, & laudibus proleculi sunt usque in Ardennam, in Monasterium Andainum. Contigit autem illa Translatio annis 98. post obitum eiusdem S. Huberti. Omitto plura ad recentiora properans. S. illius planè admirabilis virginis Theresæ (obijt 1582.) corpus post nouem transactos menses, ex quo terræ mandatum ac calce à camentarijs opertum fuerat,

III

ad

ad indicium suauissimi odoris integrum ac flexible per omnia , capsa vestibusque licet putrefactis, è terra rursus eodem quo humatum fuerat modo eruitur. Beati Francisci Xauerij post 25. mēses à morte integrissimū (obijt 1552.) sa suauiter olens conspectum & incisum etiam recentem anguinem stillare visum est , cum tamen per multos mēses calce obrutum iacuisset. nec dubium est Bellarmino quin usque in hodiernum diem totum & illesum conseruetur. Simile idem scribit (tomo 2. Reliq. SS. cap. 2.) Vidi Bononia corpus B. Catharinae integrum , atq; incorruptum , cum ante annos supra centum Sancta illa virgo de hac vita migrauerit. Vidi quoq; apud Montem falcum in Umbria corpus B. Clarae aquæ integrū, atq; incorruptum , cum ante annos trecentos Virgo illa felicissima obierit. Et , quod maius adhuc miraculum videri potest, in eius corde conspicuntur instrumenta Dominica passionis ex ipsa carne tam admirabili arte formata , ut omnes qui ea cœrunt , cogantur dicere, Vere digitus Dei est hic. Ac, ut alia ait, multa prætereā, quid postremò de ciue ac patrona mea Beatissima Agneta Politiana dicam? floruit illa ante annos trecentos & viuens & mortua multis magnisque miraculis , quorum unum me puerο contigit , cuius non ego solum, sed tota Ciuitas testis fuit. Eius corpus incorruptum atque pulcherrimum non semel vidi. Non ex fama solum audiuit, non solum legit Bellarminus , insuper vidit & non semel. Quid ad fidem faciendam plus desideratur? finiam exempla nuperissimo prodigio recentissimā memoriam ex Dei dignatione Flandriæ, imò toti mundo, exhibito in reuelatione B. Idesbaldi 3. Abbatis Monasterij B. Mariæ de Dunis in Flandria iuxtamare ordinis Cisterciensis , defuncti anno 1167. de cuius exuuijs anno 1623. ex aquis & fabulone extra-ctis Reue. Dominus Antonius de Hennin Episcopus Ipcsis præsentibus multis primæ dignitatis tam Ecclesiastice quam

quam sacerdotalis viris inspecto & visitato diplomate si-gillato anno 1624. proloquitur testaturque hęc: Ex qua in-spectione ( verba sunt diplomatis ) deprehensum est ca-put integrum ( Idesbaldi ) adhuc munitum capillis , inter quos eminebat corona Religionis. frons integra , oculi suis recti palpebris & ornati supercilijs. Nasus aliquantu-lum fractus violento quodam iactu, quo, vt dicebant , & Prælatus testabatur , in eundem impegerant eius integri-tatem exploratam non habentes , dum funem cum linteo, quo inuolutus erat, frustra vi in partes detrahere tenta-rent. Genae integræ, labia integra coloris aliquantulum liuidi. Os parum patens, ita vt duo aut tres dentes in ipso aliqua sui parte videri possent. Barba valde copiosa quam quis ab octo diebus rafam iudicasset , ita tamen firma , vt præsentibus nobis fortiter pili eius à Chirurgo tracti euel-li non possent. Tota vultus constitutio tanquam dormien-tis in sinistrum latus versa ; collum adhuc duile & pro-rsus integrum. Humeri & brachia omnino integra , sicut & manus in quarum dextra adhuc parui vulneris vesti-gium apparebat. pectus adhuc valde crinitum & inte-grum; venter præterea cum coxis , genibus & tibijs pror-su-fus integris & pilosis, ipsis etiam Musculis prominenti-bus. Pes sinister integer & iuste magnitudinis; dexter vero, sicut & dextra manus , paulo contractior, ita vt vi-deretur adhuc in viuis existens paralyti, spasmo aut apo-plexiæ malo laborasse. Tibialiæ omnino integra , ita vt etiam futuri omnes dignoscerentur. Iam intueamur SS. Virorum, qui fidem & communionem Ecclesiæ Catholicę tenuerunt, honorem, dum eum audimus non uno exemplo probatum. Hinc videmus quam Deo acceptus fuerit Wul-frannus Frisiæ Apostolus tali priuilegio adiunctus : quam vera ortodoxaque fides fuerit ab ipsis prædicata , quam

III 2

Deus

Deus insigni miraculo ( sine miraculo enim incorruptio illa non stat ) ab obitu est testatus. Discant ad primam originem , ad primos Doctores à Deo missos animum convertere. Mementote ( ad H̄ebreos 13. clamat Apostolus ) præpositorum vestrorum qui loquuti sunt vobis verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis , imitamini fidē. Cedo cui hæresiarchæ aut heretico talis aphtharsia aut exitus contigit? Omnes ignominoso exitu , sicut corruptilibus & putredini in vita seruierunt , ita statim in putredines, foetores, corruptiones, abierunt. Doceat vñus Lutherus ( transire debeo reliquos ne debito longior sim ) omnium Hæresium nostri sæculi fons & antesignanus, cuius cadauer cum media hyeme deportaretur, quo tempore mortuorum corpora diu conseruari possunt & inclusum deferretur in arca stannea optimè clausa , vt Wittenbergæ sepeliretur , tam teturum odorem spirare coepit, vt à nemine deferri potuerit , ac proinde coacti fuerint in medio itinere illud derelinquere. Dignum profectò miraculum seu verius portentum, quo primus sæculi nostri hæresiarcha fœdam fidem suam mundo contestatam relinqueret.

Cæterum gloriosum S. Wulfranni depositum cum exujijs SS. Wandregisili & Ausberti sequente Nortmannorum persecutione, transportatum est Boloniam. Postmodum sedato eorundem furore cum ijsdem transfuehit in montem Blandinium Gandaui territorij ubi & hodie eorum aduentus memoratur tertia Septembribus ; eleuatio & translatio 31. Martij iuxta Molanum in notis ad Vſuadum.

DISSERT;

